

tratus, carcerum custodes, alique Curiae Saecularis Ministri, qui reum, etiam absque eorum mandato, ab Ecclesia ereptum restituere Ecclesiae renuunt. 6. Item Judices, alique Curiae laicalis ministri et exsecutores, qui in Ecclesiis caeterisque locis immunibus defunctorum cadavera inspicere et recognoscere audent. 7. Demum quicumque iudicium aliquod laicale, et maxime criminale in Ecclesiis locisve immunibus exercent, et generatim laici omnes, qui in Ecclesias, locaque sacra et immunia iurisdictionem sibi arrogant.

CAPUT VI.

DE MATRIMONIO.

§ 133.

DE MATRIMONIO GENERATIM ET TOTIUS ARGUMENTI DISTRIBUTIONE.

Sed jam agendum est de Matrimonio, quo quidem nullum arctius vinculum aut sanctius inter homines esse potest. Nam ex Apostolo Sacramentum hoc magnum est, quo non solum conjunctio Christi et Ecclesiae significatur, sed conjugibus etiam ex ipsius Christi meritis atque institutione gratia confertur, per quam naturalis amor perficitur, et indissolubilis unio confirmatur.

Ita fit honorabile in omnibus conjugium et torus immaculatus, filiorum educationi prospicitur, et dulcissimi propinquitatis nexus in humana societate colliguntur. Ex quibus satis intelligitur in hoc Sacramento tractando et exponendo omne studium nostrum ponendum esse. Sunt autem in eo quam plurima et ad fidem, et ad mores, et ad Jus Canonicum forumque ecclesiasticum pertinentia. Et ea quidem quae ad

fidem et mores pertinent, vix attingemus, haec enim jure suo a Theologis et etiam a Scriptoribus Juris publici Ecclesiastici traduntur et propugnantur. Nos reliquis ad Jus Canonicum privatum et ad judicia forensia pertinentibus operam dabimus, atque agemus: I de Sponsalibus; II de Matrimonii ipsius natura; III de Impedimentis; IV denique de proprietatibus et affectibus Matrimonii. Unamquamque autem disputationem in capita et quaestiones distribuemus, ut eorum nihil praetermittamus, quae in hoc amplissimo argumento graviora sunt, et cognitu utiliora.

CAPUT VII.

DE SPONSALIBUS.

§ 134.

DE NOMINE ET NATURA SPONSALIIUM.

Sponsalia a *spondendo* seu sponte promittendo nomen habent. « Nam mos fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores futuras, unde sponsi sponsaeque appellatio nata est. » L. 2 et 3 ff. de Sponsal. Itaque sponsalia definiuntur « futurarum nuptiarum promissio can. 3 » caus. 30 quaest. 5, sive ut habet Jurisconsultus lib. 4 ff. eod. « mentio et repromissio futurarum nuptiarum. » At Sponsalium nomen latiori sensu accipiunt Canonistae, eoque intelligunt etiam matrimonium ratum, sive consensum in praesens matrimonium: quam loquendi rationem ex usu Scripturarum profectam esse non ambigimus. « Recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, et sponsae vocentur uxores » inquit Hieronymus in Matth. cap. 4. Hinc vitandae ambiguitatis gratia Sponsalia aut de praesenti, aut de futuro esse dicuntur, et ita quidem

ut nomen Sponsalium de praesenti ad significandum matrimonium ratum, nomen autem Sponsalium de futuro ad solas dignoscendas futuri matrimonii promissiones usurpetur.

Sponsalia de futuro nuptiis praemitti debent, non quidem ut valeat matrimonium, sed ut cautius et ordinatius ineatur, quemadmodum magnitudo rei omnino postulat. Namque matrimonia sine praeviis sponsalibus, sine prudenti consideratione et iudicio, sed potius casu vel impetu quodam effraeni contracta non bene solent prospereque succedere, cum « difficile sit ut bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio, » can. PRINCIPATUS CAUS. 1 q. 1. Praeterea eadem matrimonia carent debita in Sacramentum reverentia, tum quia sponsi in iis vel motibus cupiditatis, vel angustiis temporis, vix et ne vix quidem possunt ad gratiam suscipiendam se disponere, tum quia sacramentum ipsum periculo nullitatis obijciunt, cum spatium non suppetat inquirendi, num adsit forte impedimentum quo matrimonium dirimatur. Quamobrem Tridentina Synodus praecepit ut matrimonium, antequam contrahatur, tribus festivis diebus publice in Ecclesia denuntietur, quemadmodum infra dicemus.

§ 135.

DE FORMA SEU MODO CONTRAHENDI SPONSALIA.

Sed uberius explicandum est quomodo sponsalia contrahantur. Sponsalia, ut dicebamus, nihil aliud sunt quam futuri matrimonii promissio. Igitur oportet ut per verba *promitto, spondeo, fidem meam obligo*, vel alia aequipollentia animus promittentium exprimat. Quamobrem si dicatur *volo, cupio, expeto te in virum vel in uxorem accipere*, sponsalia non sunt, cum ea verba, aut hujusmodi alia simplex propositum, desiderium, voluntatem ineundi matrimonium, non veram promissionem contineant, et *velle contrahere* non

§ CXXXV. DE FORM. SEU MOD. CONTR. SPONSALIA. 287

est *contrahere*, uti merito tradit Sotus laudatus a Sanchez de Matrim. lib. 1 disputat. 48.

Itemque Sponsalia non erunt, si dicatur: *libensne me in virum vel in uxorem acciperes?* aut hujusmodi aliud, quia talibus verbis interrogamus, animumque alterius exploramus, non matrimonium pollicemur. Verum si interrogacionem sequatur responsio per modum stipulationis, veluti si quis foeminam roget: *vis me in virum habere?* et illa respondeat: *volo aut spondeo*, sponsalia contracta sunt, namque interrogacione illa et responsione mutuam obligationem induci plane constat ex natura et vi stipulationis, quod jus exhibent Jurisconsulti de verbo obligationis agentes: exstantque passim apud Comicos talium stipulationum exempla. Sic Lysiteles apud Plautum in Trinummo stipulatur: « Sponden' ergo tuam natam uxorem mihi? — Spondeo. »

Sponsalia interdum promittuntur per verba exceptiva, aut negativa, uti: *promitto non aliam ducturum nisi te*, vel *praeter te*, vel *quam te: nunquam te delinquam pro alia: non contraham cum alia matrimonium*. Controversia igitur est, an isthaec promissio obligationem inducat. Sanchez de Sponsal. et Matrim. lib. 1 disput. 49 n. 3, existimat eas promissiones nec esse matrimonium, nec sponsalia, sed promissiones conditionatas, vi quarum promittens tum demum illam cui sic promisit in uxorem ducere tenetur, si matrimonium inire voluerit; non tamen adstringitur ad nuptias contrahendas, et caelebs manere potest. Nam promissiones negativae eo sensu accipi vulgo solent, veluti si dicatur: *nulli domum meam vendam nisi tibi*, nec domus venditur, nec obligatio ad eam vendendam ex iis verbis plane oritur, sed tantum obligatio conditionata tibi vendendi, si promittens vendere voluerit, Arg. L. SI STERILIS 21 § 5 ff. de action. empt. Haec sententia recepta et probata est a S. Congregatione Concilii in *una Ventimilien. Sponsalium diei 1 Junii 1709*, in qua ex Sponsalium syngrapha per virum et mulierem subscripta et his

verbis exarata: « Ego infrascriptus dico et promitto non aliam ducturum, nisi Benedictam infrascriptam quemadmodum ipsa promittit et jurat, » declaravit, « non constare de Sponsalibus absolutis, et promittentes non esse cogendos ad contrahendum. »

At vero si verbis negativis affirmatio seu promissio adjecta sit, puta *non aliam, sed te ducam*, sponsalia erunt quod satis perspicuum est. Generatim autem, quoties verba sunt dubia, pro regula sit, verba dubia in foro quidem conscientiae obligare juxta contrahentium intentionem, quia vis omnis et potestas verborum ad pariendam obligationem ex interno consensu manat; in foro autem externo standum non esse contrahentium intentioni, nam Ecclesia non judicat de internis, sed potius sensui quem verba secundum loci consuetudinem et communem acceptationem habere solent.

Quod si post diligens examen de verbis aut signis externis non satis constet, plerisque Canonistis videtur iudicium pro libertate ferendum esse, cum sponsalia multis nominibus dissolvi possint, et jura sint promptiora ad liberandum quam obligandum, lib. 47 de O. et A: atque etiam nemo ad celebrandum matrimonium cogendus est, propterea quod matrimonia coacta solent funestos et tristes habere exitus, cap. 47 hoc tit.

Haec autem ad sponsalia pertinent, nam de matrimonio aliter sentiendum est, quoniam, ut ait Sanchez de Matrim. lib. 1 disputat. 48, « in dubio sit matrimonium, nec ne, in matrimonii favorem sententiam ferendam, quia matrimonii favor multus est, ut constat ex cap. EXLITTERIS de Probation. ubi deciditur existentibus probationibus paribus iudicem absolvere debere, praeterquam in liberali causa, ubi Glossa verb. *In liberali*, ait, *ut in matrimonio*: et cap. fin. de sent. et re judic. decidit textus, duobus iudicibus ordinariis diversas sententias proferentibus praeferrí semper sententiam in favorem rei, nisi in causa favorabili matrimonio. » In quam

sententiam plures Doctores nominat, deinde sequitur: « idem dicit Berojus, quando opinio favet causae piae, et opinionem faventem matrimonio, vel causae piae praefendam esse docet etiam Navarrus, et probatur ex cap. LICET EX QUADAM in fine de test. et attest. »

§ 436.

DE NECESSARIA IN SPONSALIBUS DELIBERATIONE.

Promissio Matrimonii, ut valeat, quinque postulat qualitates, quas breviter exponemus. Primo debet esse *deliberata*, hoc est facta cum plena et integra advertentia, ut scilicet promittens et quid agat, et ad quid se obstringit advertat. Si enim ex qualibet promissione non oritur obligatio, nisi adsit plenus consensus promittentis, consensus enim hujusmodi sine plena deliberatione nec esse, nec intelligi potest, consequitur in sponsalibus, quae adeo gravem obligationem pariunt, plenam deliberationem desiderari. At vero quantam esse advertentiam oporteat, ut deliberatio plena sit, disputant Canonistae: « nihilominus dicendum est, ait Sanchez lib. 4 de Matrim. disp. 8 n. 5, eam deliberationem sufficere et exigi, quae in materia lethalis culpa sufficit, ut consensus sit mortalis: unde si quis ira, aut alio passionis motu subito percitus sponsalia contrahat, si tanta est passio ut rationis iudicium obtenebrarit, et deliberationem ad peccatum mortale requisitam impedierit, adeo ut si illo subito motu hominem interimeret, non esset mortale, tunc sponsalia non erunt valida ob defectum deliberationis: si autem non ita impedierit deliberationem, quin homicidium illud tunc admissum esset culpa lethalis, sponsalia erunt valida. » Ex qua sententia, quae magis inter Doctores recepta et probata est, duo praesertim consequuntur: et 1. invalida nulliusque effectus esse sponsalia ab amentibus, furiosis, ebris, mente captis celebrata, sive ipsi inter se,

sive cum aliis ratione utentibus contraxerint : carent enim rationis usu, et proinde, quae ad peccandum in primis requiritur, facultate deliberandi. Verumtamen si ad sanam mentem redierint, vel lucida habuerint rationis intervalla, valent eo tempore sponsalia, quae contraxerint. Deinde consequitur : 2. sponsalia a ratione utentibus contracta, nisi aliud obstiterit, rata esse, etiamsi aut ira, aut aliqua perturbatione incitati iniverint. Namque in iis animi motibus semper quidem, aut saepius agunt sine consilio et prudentia, non tamen sine advertentia et deliberatione, cum probe intelligant quod agunt; unde meriti et demeriti capaces sunt, modo tamen animi motus et perturbatio tanta non sit, ut usum rationis adimat. Quanquam vero vis et metus etiam gravis advertentiam rationis et libertatem, atque adeo deliberationem non perimat, eam tamen vitiat, et idcirco facile assentior iis qui putant, sponsalia vi, seu metu injusto inita, nec jure naturali, nec canonico consistere, ac nullum proinde effectum, nullamque obligationem parere; siquidem in promissionibus coactis, licet consensus adsit, nullitas contractus inspecto jure naturali profluit ex parte cogentis, qui ex tali promissione nullum consequi jus potest. Qui enim vim intulit, aut metum incussit, jus seu titulum acceptandi quod datur vel promittitur, consequeretur propter vim aut metum quo promittentem injuria affecit, sicque ex proprio delicto lucrum reportaret, quod iniquum est. Hac de causa promissio facta latroni de pecunia solvenda, vel facta foeneratori de solvendis usuris, naturali jure non valent, et ideo foenerator et latro promissam pecuniam nequeunt recipere, receptamque restituere tenentur, non quod consensus simpliciter voluntarius in promittente defuerit, sed quod eis defuit jus seu titulus eam pecuniam accipiendi retinendique. Promittens etiam non tenetur reddere quod facturum vel daturum promisit, nisi forte juraverit se soluturum, idque ob vinculum Religionis, cujus relaxatio petisine alterius injuria potest. Consonat jus Canoni-

cum; namque Alexander III can. DEBITORES de Jurejurando: « Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent. Si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum. Et cum usurae solutae fuerint, creditores ad eas restituendas sunt ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, compellendi. »

At ubi vis metusque gravis et injustus injectus a quodam sit, non colludente eo cui nuptiae promittuntur, si non jure naturali, at certe jure canonico sponsalia irrita sunt, aut saltem irritari possunt; Pontifex enim generatim edicit: « quae metu et vi fiunt, debent in irritum revocari » cap. 2 de iis quae vi metusque causa fiunt; et rursus: « quae vi metusve causa fiunt, carere debent roboris firmitate » cap. 4 eod. tit.

Denique deliberationem in sponsalibus tollit error circa personam, vel qualitatem ejus substantialem; error enim auferit cognitionem objecti, sine qua esse nequit deliberatio, aut ullus voluntatis consensus. Caeterum de vi, metu et errore plura dabimus, ubi matrimonii impedimenta exponemus.

§ 137.

DE CERTA PERSONA IN SPONSALIBUS DESIGNANDA.

Dein in sponsalibus requiritur, ut promissio sit certa et determinata: sponsalia enim sunt via ad matrimonium, et quaedam ipsius inchoatio. Igitur consistere nequeunt, nisi cum una, eaque certa et determinata persona contrahantur, secus enim matrimonium non inchoarent, quod individuum unius viri et mulieris societatem continet. Illud etiam accedit quod a sponsalibus indeterminatis impedimentum publicae honestatis non oritur, ut Bonifacius VIII declaravit cap. unic. de Sponsal. in 6: hoc autem manifeste probat, hujusmodi sponsalia non consistere; namque satis exploratum ex omnibus ratis sponsalibus illud impedimentum proficisci. Ex

quibus sponte fluit non contrahi vera sponsalia, si quis tribus puellis, ex. gr. tribus sororibus spondeat sese unam ex eis in uxorem ducturum, et illae promissionem acceptent et repromittant.

Sed quaeres, an ulla ex his promissionibus obligatio enascatur. Nullam plane gigni existimat Schimier Jurispr. Can. Civil. lib. 4 tractat. 4 cap. 4. Sed communior sententia est ex eo mutuam obligationem oriri, non vi sponsalium quae nulla sunt, sed ratione mutuae promissionis. Quamobrem tenetur promittens unam ex tribus eligere quam maluerit, nam ipsius est electio, ex cap. 70 de Reg. Jur. in 6: « In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterutrum adimpleri; » et vicissim electa tenetur in futuras nuptias consentire; quo facto certa et valida sunt sponsalia, et impedimentum publicae honestatis pariunt.

§ 138.

DE ANIMO SE OBLIGANDI.

Tertio requiritur, ut promissio sit vera, non simulata, quia simulatae nuptiae nullius momenti sunt, ut loquitur L. SIMULATAE 30 ff. de ritu nuptiar. Non enim verba, seu sonitus verborum, sed internus consensus et animus sese obligandi obligationem inducunt, cap. TUA 26 de Sponsal. et Matrim. Enimvero obligatio qualibet a lege non dimanans, oriatur oportet ex privata hominis voluntate qui libere velit obligationem ipsam suscipere: ex quo fit ut deficiente animo suscipiendae obligationis obligatio non exoriatur, estque in jure certum et exploratum « actus agentium non operari ultra intentionem eorumdem. » Obligatio autem in sponsalibus non a lege, sed a voluntate libera promittentis proficiscitur. Nulla igitur erit obligatio ineundi matrimonii, quando in promittente defuit animus et voluntasse obligandi. Simulator autem

peccat graviter quod in re gravi mentitur et alterum decipit, ac insuper ratione fraudis et injuriae illatae tenetur ad fictionem tollendam, seu ad consensum ex animo praestandum, aut saltem ad damna compensanda, si quae pars decepta passa fuerit.

Verum haec in foro conscientiae. Nam quod pertinet ad forum externum, ubi constet de promissione, praesumitur promittentem ex animo se obligandi promisisse, adeoque nisi probet se locutum esse per jocum qui ex verbis aut circumstantiis perspicui potest, omnino cogitur promissis stare, fidemque praestare, tum quia ex L. LABEO ff. de Supellect. leg.: « nemo existimandus est dixisse quod non mente cogitaverit; » tum quia facile quis posset vim sponsalium eludere propria fictionem allegando: fraus autem et dolus nemini debet patrocinari.

Obvia quaestio hic est, quam obligatione teneatur, qui, sub ficta promissione matrimonii, virginem defloraverit? In hac quaestione non omnes sentiunt unum atque idem. Plures affirmant defloratorem obstringi ad dotandam et simul ducendam defloratam, non quidem vi fictae promissionis quae nullam obligationem inducit, uti hactenus dictum est; neque ratione damni et injuriae illatae, quia de injuria et damno illato deceptor poterit satisfacere per dotis constitutionem aut aliam compensationem; nec demum ratione contractus innominati « *facio ut facias* » quatenus virgo sui corporis copiam fecit, ut alter vicissim futuras nuptias promitteret, quia pacta turpia, seu ob turpem causam inita nullius momenti sunt, L. 26 ff. de verb. oblig. quae ita enuntiatur: « generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti; » sed eam obligationem oriri volunt ex Lege, seu cap. 4 de Adulter. et stup. ubi ita sancitum est: « Si quis seduxerit virginem dormieritque cum ea, dotabit eam et habebit uxorem. » Ex hoc autem capite autumant satis apertum esse, defloratorem duplici ea poena copulative mul-

ctari, nec fas esse particulam Canonis copulativam in disjunctam ita torquere, ut defloratoris arbitrio relinquatur aut ducendi, aut dotandi, tum quia nulla subest causa ejus disjunctionis faciendae, tum quia usus Tribunalium Ecclesiasticorum est, ut deflorator tum ad dotandam, tum etiam ad ducendam mulierem condemnetur. Contra plerique sentiunt, verba ejus Canonis non copulative, sed disjunctive esse sumenda, ut sensus sit « vir qui seduxerit virginem, dormieritque cum ea dotabit eam, aut habebit uxorem » quod in jure novum non est, nam ut habetur L. 53 ff. de Verb. signif. : « saepe ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur. » Quare deflorator aut dotet, aut nubat necesse est, ipseque poterit alterutram poenam eligere quia « in alternatis debitoris est electio » cap. 7 de Reg. Jur. in 6. Haec autem interpretatio nititur tum hodierna consuetudine Tribunalium magis recepta, tum etiam cap. Pervenit eod. tit., ubi videtur praefati capituli rigori derogatum esse, namque constituitur ut deflorator virgini stupratae nubat, sin minus corporali poena afficiatur. In hac vero sententiarum disparitate forte aequius tutiusque est, ut quaelibet ecclesiastica tribunalia receptam in eis consuetudinem usumque consecentur. Interim apud omnes utriusque sententiae patronos haec certa sunt : 1. praedictum caput primum de adult. et stup. praestituere poenam positivam, quae rei cognitionem et sententiam condemnatoriam postulat ; 2. cessare obligationem ducendi et dotandi, quum puella non erat virgo, aut virgo deflorata fuit sine ulla promissione matrimonii, nam duplex poena et dotis dandae, et matrimonii contrahendi ei tantum irrogatur qui « seduxerit virginem, dormieritque cum ea ; » 3. eandem obligationem cessare, quum puella ex verbis aut aliis apertis conjecturis facile potuit fallacem animum promittentis perspicere. Nam caput loquitur de seductione ; tum enim vero non videtur seducta, sed voluntarie fraudi consensisse, quandoquidem dum animadvertit, aut potuit ani-

madvertere promissioni subesse dolum, et tamen sui copiam facit, non id facit seducta promissione matrimonii, quam fictam esse sufficienter intellexit, sed voluntate sua, veluti si vir promittens nobilitate generis, vel divitiis insigniter ab ea distaret. Ob tantam enim inaequalitatem illud merito praesumitur, quod mulier potius se deceptam finxerit, quam reapse decepta sit. In hujusmodi autem casibus videtur deflorator ad reparationem damnorum, si quae mulier passa est, obligari, non quidem ita integre quemadmodum decipiens teneretur, sed prudentis arbitrio, considerato ex una parte damno quod illatum est, ex altera vero foeminam sua sponte deceptam esse ; de quo confer Zech de Judic. crimin. § 412.

§ 439.

DE MUTUA PROMISSIONE.

Quarto requiritur, ut promissio Matrimonii sit mutua, hoc est a viro et muliere vicissim facta et acceptata. Sponsalia enim definiuntur « *mentio et repromissio futurarum nuptiarum* : » qua de re ubi non est utriusque promissio et acceptatio, non sunt sponsalia. Igitur promissio unius nihil efficit, nisi alter vicissim ratihabeat, et spondeat ; et promissio poterit a promittente revocari, antequam alter acceptaverit et repromiserit, namque contractus non est, quandiu contrahentes in idem placitum non consenserint. Quaeritur autem, an promissionis acceptatio vim habeat repromissionis, ita ut acceptans quamvis expresse non repromittat, virtualiter tamen repromittere seseque obligare intelligatur ? Negativa sententia plerisque placet, et optimo quidem jure : siquidem sponsalia non sunt gratuita et liberalis promissio, sed contractus onerosus *facio ut facias*. Igitur natura sua implicitam conditionem habent mutuae obligationis et repromissionis, adeo-